

Quocunq; anni tempore etiam in pauculis diebus per stellam incognitam & exortum solis, maximam solis declinationem dignoscere.

Vt uideas exacte finem respondere principio, & utrunq; diligentissime à nobis esse præscripta omnia, pulcherrimū & utilissimū pronunciatū in hunc locum consulto distulimus, ubi admiratione quoq; dignū est declinationē solis maximā per totum annū inueniri posse, neq; tunc tm̄ qñ circa principia est ☉ uel ♃. Itaq; sic procede. Primū tibi ob oculos pone stellam aliquā etiam ignotā in quocunq; sit illa signo uel gradu, & diligenter considera qñ attingit meridianū, sit etiam ad manus tibi clepsydra aliqua certa uel aqua uel harena dimetiens horas, aut quodcunq; horologiū etiam ferreū, quumq; stella pposita meridianum attingit, horologiū tuum tibi compone, singulas horas & minuta obseruans, eò usq; dum sol ad horizontē pertingat, eam horā attende diligentius, atq; cum aliquo instrumento obserua amplitudinē ortus solis. Deinde post aliquot dies considera rursus qñ stella pposita tangat meridianū, atq; inde horas obserua usq; ad solis ortum, similiter & amplitudinē sicut prius attende, atq; sic facies in occasu solis & eius amplitudine, unum horarū de, ut utraq; hæc obseruatio fiat in una quarta zodiaci, quotquot interim dies interueniant, horas deinde illas quæ minus autē subtrahe à maioribus, & residuū se pone in locum aliquē seorsim, diceturq; residuū, residuū horarū, mox ad quālibet amplitudinē quære declinationem ☉ ab æquatore per 13. pronunc. similiter & differentiā ascensionalē ad quam ueniet amplitudinē per 15. pronunc. Insuper adde differentiā horariā & differentiā ascensionalem maiore, & à summa illa subtrahe rursus differentiā ascensionalē minore, residuū est ipsa ascensio recta inter loca solis in quo erat tempore obseruationis. Ecce iam tria habes per quæ inuenies maximā ☉ declinationē, puta duas declinationes ☉ & ascensionē rectā in duo loca solis. Iam duc sinum cōplementi minoris declinationis in sinum ascensionis rectæ, & est differentiā lōgitudinis in æquatore, quæ inter duos meridianos per solem tempore obseruationis deductos includit, productū diuide in totum, arcus quotientis est inuentum primū. Mox ppone tibi cōplementū inuenti primi, & sinum minoris declinationis minore duc in totum, diuide etiam pductū in maiore, arcum quotientis illius subtrahe à declinatione maiori, residuū uocabit inuentum secundū. Super hæc etiam duc sinus complementorū primi & secundi inuenti in se, productū diuide in totum, arcus quotientis de 90. sublatus, relinquet arcum eclipticæ à loco solis primæ obseruationis usq; ad locum solis in quo erat in secunda obseruatione. Porrò inde duc sinum primi inuenti in totum, productū diuide in sinū huius distantie locoꝝ solis, arcus quotientis dabit inuentum tertium, eius sinum itidē duc in sinum cōplementi maioris declinationis ☉, qui quidē in duabus obseruationibus sit inuenta, productū diuide in totum, arcus quotientis de 90. relinquet maximam declinationem eclipticæ ab æquinoctiali. Sed quo piaculo huiusmodi tibi exemplum dabimus? aut nonne religio fuerit, in gratiam & honorem amplissimi & Reuerendissimi patris & Præsulis Augustani, hic ubi maxime opus est, nō meminisse celeberrimæ intronisationis, qua hæctenus per omnia exempla usi sumus? Esto igitur, ut hora intronisationis Augustæ, ubi & facta est in altitudine poli 48. gra. obseruarem hanc amplitudinē solis forte per 45. aut 46. dies consequenter, usus ad hoc clepsydra, adhibita in hac stella mediꝝ cœli, à momento obseruationis primæ usq; ad contactū ☉ & horizontis inuenerim 1. horā 40. mi. Deinde forsitan post 45. dies habita obseruatione altera, sub contactum eiusdem stellæ cum meridiano usq; ad ortum solis, repererim 3. horas 30. mi. 12. secundis. Iam itaq; subtraho 1. horā 40. mi. à 3. horis 30. mi. 12. secundis, & remanet 1. hora cum 50. mi. 12. secundis, quibus in gradus mutatis, habeo 27. gra. 33. mi. atq; eam differentiam dico horariā. In priore itidem obseruatione inueni amplitudinē ortus solis 9. gra. 14. mi. simulq; per 13. pronunc. repperi declinationē ☉ 6. gra. 34. mi. & differentiā ascensionalem per 15. pronunc. 7. gra. 22. mi. In altera autē obseruatione fuit amplitudo 31. gra. 15. mi. unde sequit declinatio eius 20. gra. 42. mi. simulē & differentia ascensionalis 24. gr. 49. mi. Iam addo maiore differentiā ascensionalē. s. 24. gra. 49. mi. ad differentiā horariā. s. 27. gra. 33. mi. summa erit 52. gra. 22. mi. hic subtraho rursus differentiā ascensionalē, & remanent

manent